

PRO SALVTE IMPERATORIS
M. ANTONI GORDIANI. P. F.
INVICTI AVG ET SABINIAE TR
IAE TRANQVILE CONIVGI EIVS TO
TAQVE DOMV DIVIN. EORVM A-
LA AVG. GORDIA. OB VIRTVTEM
APPELLATA POSVIT : CVI PRÆEST
AEMILIVS CRISPINVS PRAEF.
EQQ. NATVS IN PRO AFRICA DE
TVIDRO SVB CVR. NONNII PH
LIPPI LEG- AVG- PROPRETO-----
ATTICO ET PRETEXTATO
COSS.

Anno
Christi
243.
Wigton.

Aræque hinc allatæ fuerunt quæ apud *Wigton*
in via eriguntur, in quarum lateribus visuntur
simpulum, futilis, malleus, patera, &c. sacrifi-
catoria: literæ vero vetustate victæ omnino dif-
fugerunt. Nec procul hinc ad viam militarem
effossa fuit columna è rudi saxo, quæ *Theresbeia*
nunc cernitur, sic inscripta:

Thores-
bey.

IMP CAES
M. IVL.
PHILIPPO
PIO FELI
CI
AVG
ET M. IVL. PHI
LIPPO NOBILIS
SIMO CAES
TR. P. COS..

Hanc etiam ut alia descripsit mihi *Oswaldus*
Dikes verbi divini minister eruditissimus, jamque
extat in ædibus fratris ejus viri clariss. *T. Dikes*
apud *Wardal*.

DEO
SANGTO BELA
TVCADRO
AVRELIVS
DIATOVA *ARAE
X VOTO POSVIT
LL. MM.

Pro
aram ex
Voto.

Alteri etiam Deo indigeti hujusmodi reperta
est inscriptio,

DEO
CEAI IO AVR
M RTI. ET M S
ERVRACIO PRO
SE ET SVIS. V. S.
LL. M.

Solway
Frith
Scotis.
Blatum.
Belgium.

Bulnesse.

Præter infinitas imagunculas, statuas eque-
stres, aquilas, leones, Ganymedes, & alia vetu-
statis testimonia plurima, quæ quotidie occur-
runt. Paulo superius promittitur promontorio-
lum, magnumque subest æstuarium modo Ang-
liæ & Scotiæ, olim Romanæ Provinciæ, & Pi-
ctorum divortia aperiens. Promontoriolo huic
incumbit antiquum illud oppidum *BLATVM-*
BVLGIVM (fortasse à *Bulch* Britanniorum quæ
interstitium sive divortium sonat) à quo Antonius
tanquam à remotissimo loco, & provinciæ
limite Britanniarum itinera incipit. *Bulnesse* hodie
incolis dicitur, & viculus est admodum exilis, qui
suum tamen munimentum habet, & in vetustatis
indicia præter platearum tractus, & parietinas,
Britannia.

portum jam oblimatum, & viam hinc per littora
ad *Elenborro* usque stratam fuisse ferunt. Ultra
hoc ad mille passus, ut mari statis dimensionibus
recedente ex fundamentis videre est, Vallum il-
lud & Murus celeberrima Romanorum opera
incipiunt, Romanæ Provinciæ olim Limes, ad
secludendos barbaros excitata, qui hoc in tractu
Romanum imperium (ut inquit ille) circumla-
traverunt. Mirabor primum cur hic tanta mu-
nimenta posuerint, cum admodum magnum
per *V I I I* plus minus milliaria objaceat æstua-
rium, sed jam intelligo recedente æstu ita aquam
decrefcere, ut facile prædones & abactores so-
leant transvadare. Formam littorum horum im-
mutatam fuisse radices arborum satis procul à
littore sabulo intectæ, & sæpius ventis æstu re-
cedente detectæ, sunt argumento. Nescio an
hic memorem quod de subterraneis arboribus
sine ramis sæpius erutis ferunt, quas è roris indi-
cio deprehendunt; solum enim cui subjacent,
nunquam rore aspergi observarunt.

Valli Prin-
cipium.

Solway
Frith.
Arbores
subterra-
neæ.

Ad idem æstuarium interius est *Drumbough* ca-
strum jam pridem Dominorum de *Dacre*, olim
Romanorum statio. *EXPLORATORVM CA-*
STRA fuisse, reclamante omnino distantia, ali-
qui volunt. Alia etiam ibi fuit Romanorum sta-
tio quæ nunc in novum nomen mutata *Burgh u-*
pon sands, id est, *Burgus ad sabulum* nominatur,
unde vicinus ager *Baronia de Burgo* appellatur,
quam *Mesbines* Dominus *Cumberlandiæ* *Roberto*
de *Trivers* dedit, ab illo vero ad *Morvillo* de-
venit, quorum postremus *Hugo* reliquit filiam
quæ ex secundo marito *Thoma de Molton*, *Tho-*
mam Molton procreavit Dominum hujus loci,
cujus filius *Thomas* nuptiis cum hærede *Huber-*
ti de Vallibus possessionibus *Gilleslandiam* adjun-
xit, quæ omnes demum ad *Ranulphum de Dacre*
cum *Matilde Molton* sunt devolutæ. Sed nulla re
magis innotuit hoc oppidulum, quam quod *Ed-*
wardus Primus hostium undique triumphator
hic immatura morte diem obierit, Princeps
longe clarissimus, in cujus fortissimo animo ho-
spitium metatus est Deus dignissimum, ut Regiæ
majestatis apicem, non solum fortitudine, & sa-
pientia, sed decore etiam, & corporis dignitate
adæquarit. Quemque fortuna primo ætatis flore
plurimis bellis & difficilimis Reipublicæ tempo-
ribus exercuit, dum Britannico imperio aptarit:
quod cum Rex inauguraretur, ita administravit,
devictis Wallis, & superatis Scotis; ut alterum
Britanniæ ornamentum optimo jure habeatur.

Burgh
upon
sands.

1307.
Morvillo
dicti de
Burgo su-
per fabu-
lones, Li-
ber Inq.
Vauxl.

Edward
Primus.

Sub hoc *Burgo*, in ipso æstuario Scotos & Anglos,
& classe, & reverso æstu, equitatu decertasse fe-
runt incolæ, quæ res perinde mira videatur,
quam quod *Plinius* non sine admiratione de si-
mili in *Caramania* loco retulit. *Solway frith*, id
est, *Fretum Solway*, utrique genti dicitur hoc æ-
stuarium à *Solway* Scotorum oppido apposito.
Sed rectius *Ptolemæo* *ITVNA* dicitur. *Eiden*
etenim egregium flumen, qui *Westmorlandiam*
& interiora hujus regionis pererrat, maximam
aquarum molem in illud effundit, nondum obli-
tus quam ægro nixu inter congesta Scotorum
cadavera, anno salutis *CIOCCXVI* eluctaretur,
cum illos præda ex Anglia onustos hauriret, &
suis

Solway
Frith
Iuna.
Eiden fl.
Hist. Mal-
ros.